



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

II [i. e. III]. Quibus ex caussis maritis uxores repudiare liceat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

esse, vt Caietus obseruauit. Vnde dimissa Monialis, si quis sit qui eam ducat potest secundas nuptias amplecti.

III. Si mulier nupta vterum ferat ex alio quam cui nupta est, potest is ea relicta aliam ducere. Anno M D LXXXI. in Synodo Neracensi, quidam indignatus ob ignominiam Ministerio illatam, Corrasium Miniltrum Castelmoranensem cogere voluit, vt vxorem suā, quæ præmaturo partu, quinto videlicet mense post nuptias filiam edidisset, quam ipsa ex Noratio quodā Clericacensi, iam mortuo conceptam fuisse in facie Ecclesiæ cōfessa fuerat, dimitteret: qui quum nollet ea vti seueritate, conscientia prohibitus, dixit, *peccatum hoc ante admissum fuisse, quam sibi vxor vllatenus deuincta esset, seque culpam omnem, si qua in ipsa resideret, condonare.* Sed non ita multo post paruit fraus: falso enim Noratio isti mortuo impacta fuerat culpa, quæ reuera erat ipsius Ministri, vt qui cum puella illa clam stupri consuetudinem antea habuisset.

IV. Inter Constitutiones Caluini etiam hic articulus inuenitur, diuortijs ianuam aperiens, & matrimonium in lupanar transformans. *Si maritus, inquit, nequam, ab vxore discedat, annum integrum mulier expectet: eo exacto, si comperiat opus esse, vt denud nubat, licebit ei, prauis proclamationibus, id facere. Quod si, occupato iam loco, vir eius reuersus fuerit, mulctabitur, prout videbitur a iudicibus cōsententium.* Sed formam inquisitionis, qua de calore aut frigore istius foeminae relictae cognoscitur, operæ precium est videre. *Inssam comparere coram Consistorio, Minister, libet aprius admonitione, ecquid de viro sud inaudiuerit, interrogat: qua iureiurando affirmante, se annū iam totum, vbi sit, ignorare, vtrum donum continentia habeat, Minister quatit. Si respondeat, carnem infirmam esse, id dictum sapientibus illis sat est, nec mora, in potestatem alterius viri veniendi libertatem habet: Praestat nubere quam vri.* Annon dissolutus aliquis homo commodissimam iam rationem habet, suppeditatam per leges Geneuensium, è vinculis coniugij sese expediendi, vagæ libidini indulgendi, & de lecto in lectum transfiliendi? Nonne hoc est vjam sternere mulieri libidinosa, qua sub prætextu procurati huius diuortij, ad secunda vota transeat, aut etiam in leonum disciplinam se dedat? Iam vni foeminae duo aut tres erunt viri, & vni viro duæ aut tres vxores, omnes superstites: vt Geneuz factum est, vbi intra sex menses tertiam vxorem quidā duxit, quū duas priores, Caluino inter alios

iudice, vt Lindanus affirmat, adulterij conuicisset.

V. Dici vix potest, quam infames commixtiones ex hisce Geneuensium legibus extiterint. Notæ sunt historiae & exempla plurimorum vtriusque sexus hominum, & illustrium quoque personarum, quæ relictis coniugibus suis Geneuam, tanquam in asylum se receperunt, & sub Libertate cōscientiæ, carnis libertatem amplexæ sunt. Nam simul ac eiusmodi mulier muros vrbs Geneuensis attingit, illico libera est. Maritum oportet vel illius Religionem amplecti, vel alibi vxorem querere. Sebastianus Flafchius Mansfeldiensis Minister, in libro de conuersione sua narrat, *Collegam quendam suam vehementer apud se instituisse, vt permutationem inuicem faceret vxorum. Pudet me, inquit, alias enormes actiones literis diuulgare.* Vna hæc historia sufficit.

Quum Sabaudia Duci Pedemontana Regio restitueretur, Nobilem quendam ex Occitania dominum de Clarie ex eo bello, libido incescit visenda Geneuz. Itaque assumtis socijs Nobili quodam Santonico, & alio quodam Aquitanico, Lauallo Domino, adhuc viuente, quoseadem curiositas mouebat, Geneuam contendit. Quo vbi ventum est, Caluinum audiunt concionantem, quamuis essent omnes Catholici. Ibi Dominus de Claire ad gregem feminarum oculos circumferens, vxorem suam inter illas conspicit. Attonitus, cum oculis & animo deliberat, num forte deliraret aut visus ipsum falleret: Sed quo magis aspicit, eo certius vxorem, & cum ea etiam filiam suam, agnoscit. Impatiens moræ, finem tamen concionis expectatum surgente concione, ad vxorem accedit. Quæ virum suum aduenientem conspicata, protinus exclamat, & ad Caluinum exeuntem accurrens, *Domine, inquit, serua me.* Ille subsistens, & Nobilem istum videns, iam manu tenentem filiam, quid negotij sit interrogat: & illa, *vir, inquit, est meus qui me abductū venit.* Iuua me, obsecro. Caluinus videns terribam circumfistere vt exitum videret fabulæ, domi se cogitatum hac de re pronunciat: illo interim prohibito, cū vxore sua, nisi venia impetrata, colloqui. Vocatus eo ipso die ad Caluinum, & postridie ad Consistorium, vxorem & filiam reperit. At illi vxor, vt exemplum eius imitetur, Euangelium amplectatur: Omnia relinquenda esse præ amore Christi. Itaque quum nihil obtinere posset, metuens peiora de Consilio aliorum clam se subduxit, vxore & filia in potestate Caluini relictis. Plura id genus exempla, mihi probe cognita,